FERDINANDUS ONUPHRIUS
DE KITKI
KICKI
DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS METROPOLITANUS LEOPOLIENSIS.

Universo Clero, tam sæculari, quàm Regulari Archi-Diœcesis Nostræ, Nobis in Christo Dilecto Salutem à Domino.

Decretum Augustissimæ Majestatis ddto 13 Januarii, & ab Excelso Gubernio 26. elap. receptum, Nobis verò litteris Ejusdem Excelsi Gubernii ddto 15. currentis præsentatum Vobis intimamus de tenore sequenti =

Religiosi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de redemptione Captivorum, scilicet amotus Commissarius Provinciæ Pater Alexander, amotus Minister Majoris Conventûs Leopoliensis P. Carolus, porro duo Consultores P. Urbanus & Pater Gregorius, ac Procurator P. Christophorus Leges & Mandata Sacratissimæ Majestatis transgredi ausi sunt, & quidem

1mo PP. Alexander & Carolus Capitulo in extracordonali Conventu in Beresteczko celebrato in elusionem Patentalium ddto 24 Martii 1781 interfuerunt, & nexum cum extraneo Provinciali, & Conventibus habuerunt.

2do Iidem Cassam Provinciæ & Capitales Summas ad Eandem pertinentes 23000. florenorum polonicalium in Fassionibus celarunt.

3tio In conscribendo Inventario supellectilis & Thesauri Ecclesiæ calicem aureum, & conflatum argentum 157. Marcas ponderans reticuerunt.

4to P. Carolus in Fassionibus porrectis Summam 51012 florenorum polonicalium celavit.

5to Iidem PP. Alexander & Carolus in Conventu primario Leopoliensi, existentem Cassam Redemptionis, in qua 9520. florenorum & 14 grossi polonicalium parati peculii reperiebantur, unà cum Summis Capitalibus ad hanc Cassam pertinentibus, ex quibus 243500 florenorum polonicalium in his Regnis, & 267600. florenorum polonicalium in Bonis extracordonalibus radicata sunt in Fassionibus reticuerunt.

6to Ex usuris harum Summarum Capitalium 1000 aur. sive 17000. florenorum polonicalium Constantinopolim contraveniendo Patentalibus de 31. Decembris 1774. miserunt.

7mo P. Carolus in Decembri 1781. 500 aureos extra hæc Regna in fraudem mox citatarum Patentalium exmisit.

8vo P. Procurator Provinciæ P. Christophorus elapsô annô provisiones 4450. florenorum polonicalium de celatis Cassæ Redemptionis Capitalibus his in Regnis locatis levavit, & hanc Summam extraneo Patri Redemptori tradidit.

9no Sæpedicti PP. Alexander & Carolus scripta quædam Ordinationes Sacratissimæ Majestatis graviter offendentia describi curarunt, & propagarunt.

* 10mo

10mo Duo PP. Consultores Urbanus & Gregorius suprafatas falsas Fassiones subscripserunt, atque celationi Summarum suprà recensitarum se correos fecerunt.

Ut itaque pro his transgressionibus meritæ infligantur pœnæ, & reliquus Clerus à Legum transgressionibus deterreatur, præcepit Sacratissima Majestas, vigore decreti aulici ddto 13 Januarii, & recepto 26 præteriti Mensis, ut non tantum Conventus Major Leopoliensis, sed etiam omnes reliqui Conventus & Hospitia PP. Trinitariorum in Regnis Galiciæ, & Lodomeriæ existentes cassentur, & eorum substantia pro Fundo Religionis confiscetur. Religiosis hujus Ordinis autem sive Presbyteri, sive Fratres Laici sint, liberum relinquatur, dispensationem à Reverendissimis Ordinariis petere, ut aut ad alium Religiosum Ordinem, aut ad Statum Cleri Sæcularis transire possint, in quo utroque casu proportionata pensio ipsis assignabitur =

Porro Sacratissima Majestas mandavit, ut ii ex his Religiosis, qui in Ordine suo permanere volunt, sine pensione ad alienas Oras relegentur, atque hoc modô etiam Ordo Trinitariorum per onus relegatos Religiosos sustentandi puniatur, nec minus suprafati transgressores peculiariter præter jam subsecutam ab Officiis amotionem Carcere Diœcesano & quidem PP. Alexander & Carolus per sex Menses, duo Consultores PP. Urbanus & Gregorius, & P. Procurator Christophorus per tres Menses puniantur, finitô autem hoc tempore, omnes quinque Ditionibûs Cæsareo-Regiis proscribantur; Tribus Religiosis verò, qui has transgressiones Gubernio huic retulerunt, scilicet P. Petro Exministro, P. Antonio Concionatori, & P. Gundislavo, ob suam fidelitatem & singularem Zelum observandarum Legum comprobatum optio detur, aut in Ordine suo manendi, quo casu se Viennam, vel ad alium Conventum sui Instituti in ditionibus Suæ Majestatis conferre poterunt, aut ad Statum Cleri Sæcularis transeundi, aut ad alium Religiosum Ordinem ingrediendi, quo casu ab ipsis dispensatio à Reverendissimo Ordinario petenda erit. Cæterum autem duplicata pensio cuilibet eorundem exsolvatur.

Quam supremam Resolutionem Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ eum in finem intimo, ut illam Universo Clero, tam Sæculari, quàm Regulari sine mora notum faciat, & Clerum ab omnibus Legum, & mandatorum transgressionibus seriò dehortetur, atque peractam publicationem currendis Originalibûs intra sex Septimanas certò certius legitimet.

Præterea Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra, Religiosis duorum Conventuum Leopoliensium, & Conventus Burstinensis & Stanislaopoliensis seriò præcipere velit, ut omnibus jussis & dispositionibus Commissariis abolitionis plenam præstent obedientiam.

Quod Mandatum in scriptis exarandum Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra, denominatis pro Conventu Civitatensi in persona Magnifici Consiliarii Gubernialis Mathiæ Ertel, & pro Conventu Suburbano, nec non pro reliquis duobus Burstinensi, & Stanislaopoliensi in personis Magnificorum Capitaneorum Circulorum delegatis sine omni mora transmittere, atque sua ex parte ad prælegendum Religiosis Mandatum Commissarios constituere, nec non eosdem ad respectivos abolitionis Commissarios inviare sataget, cùm actus abolitionis duorum Conventuum Leopoliensium pro die 17 currentis, extra Leopolim sitorum Conventuum autem die 31 ejusdem præfixus habeatur.

Et cum dicti quinque Religiosi Prævaricatores ad squallorem Carceris 6. & respective 3. Mensium Condemnati sint, in hac Archi-Diœcesi autem tales Diœcesani carceres non existant, quia delinquentes Clerici in Cænobiis detineri solent, hinc Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ dispositioni relinquo, quem locum quinque his Religiosis ad subeundam pœnam assignare velit, includendi tamen sine mora sunt, ut omnis occasio aufugiendi ipsis præcludatur; insuper Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra me informabit, quantum cuilibet horum Religiosorum quotidie pro sustentatione subministrandum esse censeat.

De-

De Cætero Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra rem ita disponet, ut quinque sæpe dicti Religiosi, elapso pœnæ tempore ex hisce Regnis relegentur.

Hæc singula quæ vobis intimari facimus eo fine vobis notificanda exhibentur ut sciatis expressas hic graves supremorum Sacratissimæ Majestatis Mandatorum transgressiones per Individua Religiosorum Trinitariorum patratas adeo innatam Summi Imperantis Nostri lædere Clementiam ut eandem necessario jure ad juste infligendas Ordini huic provocarent pœnas. Rigor hic Justitiæ Augustissimæ Majestatis in nominatos prævaricatores supremarum Legum, eò vos magis, à similium casuum evitatione deterrere & ad debitam suo Imperanti reverentiam & fidelitatem incitare debet, quò magis Doctrinæ Salvatoris Nostri enutriti pabulô edocemini, summo Principi subditorum corda in eam quæ par est, reverentiam, Fidelitatem, & exactissimam Legum Ejus observantiam effundi debere. Studeatis fideli animorum vestrorum promptitudine adimplere singula Sacratissimæ Majestatis Mandata, scientes ea quæ Vobis ad observandum proponuntur, DEI voluntatem esse, in Cujus Manu cor Regum subsistit, utque sic, & bonorum civium, & bonorum Christianorum Nomen mereri valeatis. In quorum fidem Dat. in Palatio Nro Archiepli Leopoliensi Die 18 Mensis Martii 1783tio

FERDINANDUS ARCHIEPUS.